

sterium ab antiquo et speciatim illo tempore, quo illud S. Otto restauravit, Dioecesis Wirceburgensis fuisse, clare patet ex Henrici Ex-Abbatis Originibus Banzensibus, quas ex vetustioribus monumentis et fide dignis descripsit, Excellentissimus vero Ludowicius inter Scriptores Bambergenses edidit. Cum enim narrasset, S. Ottonem Banzensi Monasterio restaurato Balduinum Abbatem præfecisse, addit: *Sanctus itaque Otto antedictum Abbatem ab Episcopo Herbipolensi ordinari in Abbatem procuravit.* Episcopo itaque Wirceburgensi anno 1120. Monasterium Banzense jam subiectum fuit, nec amplius Fuldenses ibi aliquid juris habuerunt. Vane hinc ab Eberhardi silentio possessionem huius Monasterii tribuit Fuldensibus. Quod si illi hoc Monasterium unquam possederunt, idem tamen in Dioecesi et de Dioecesi Wirceburgensi ab initio suo fuit. Delendum id igitur est ex Catalogo Monasteriorum Fuldensi Coenobio subditorum.

Brachovvense Monasterium fuit Dioecesis Wirceburgensis.

XXXVIII. Pag. 94. subdit Cl. Schannatus Monasterio Fuldensi *Monasterium Brachovviense*, et conjicit id in confiniis Pagorum Weringewe et Gozfeld situm fuisse. Locum hunc *Ecclesia Fuldensi fuisse proprium demonstrat*, inquit, *Charta precaria Reginhiltæ et Gundhiltæ sororum, quibus Baugulfus Fuldensis Abbas in compensationem bonorum quorundam ab ipsis oblatorum in Tungide, Pleichfeldum et Buchilidin alia de bonis Ecclesiæ suæ propriis assignavit ad dies vitæ duntaxat possidenda in loco, qui appellatur Brachovva.* Baugulfus in Charta illa, quam Schannatus Trad. CLXXII. exhibet, non de *bonis propriis*, sed de *nostris propriis* dicit. Proprietates nempe quasdam habebat in loco *Brachovva* dicto, ut in pluribus aliis locis; sed inde non sequitur, *Brachovvam* ipsam et omnem propriam fuisse Fuldensibus. Alias enim Episcopi Wirceburgenses fere nihil proprii habuissent, cum Fuldenses in plerisque Wirceburgensis Dioecesis locis, præsertim inter Mœnum fluvium et Buchoniam latifundia et prædia quædam propria possiderent. Nec, cum Traditione CCCXXXVII. Wigbraht quidam partem suam in fonte, ubi sal nascitur, prope Kissingam anno 823. ad Monasterium S. Bonifacii tradit, et Traditio hæc facta dicitur *in Monasterio Brachau*, inde concludi potest, *Monasterium Brachovviense* ad Fuldenses pertinuisse. Wigbraht Brachovvæ commoratus est, cum traditionem hanc faceret, et incola Brachovvæ fuisse potuit. *Brachovva* enim supra Kissingam nec procul ab ea in dextra Salæ fluvii ripa jacet, et nunc vulgo *Prach* dicitur. Situm ergo non fuit in confiniis Pagorum Weringewe et Gozfeld; sed in *pago Salegeuwe*, qui tunc temporis Regum proprius erat, et anno 1000. Ecclesiæ Wirceburgensi ab Ottone III. donatus est. Pertinuit igitur ad Dioecesin Wirceburgensem, et anno 1000. etiam in dominium Episcoporum Wirceburgensium venit; unde *Monasterium Brachovviense* ex Dioecesi Schannatiana etiam eradendum est plane.

Situs Brachovvæ, nunc Prach dicta.

Holzkirchense Monasterium.

XXXIX. Ad *Monasterium S. Sixti Holzkirchense* deveniens Schannatus: *Inter Monasteria*, inquit, *quæ tragicis quandoque venatorum factis originem suam debent, etiam recensetur vetus hoc, Holzkirchen nuncupatum, in Orientali Francia, inter Mœnum et Tuberam situm, ubi Troandi viri Principis filium unicum, inter venandum, a quodam singularis speciei monocerote eneatum fuisse volunt; rei seu veræ seu fictæ narrationem ac fidem totam desumentes ex antiquo quodam lapide, ibidem inter rudera etiamnum conspicuo, cui et alius associatur, quem Elissæ ejusdem Troandi conjugis effigiem exhibere, dubia non minus auctoritate contendunt.* Dubia

bia